

Q. F. F. Q. S.

הלכות  
גדלהם

Seu

DE PROSELYTIS  
EBRÆORUM,

EXERCITIUM ACADEMICUM,

Quod

Ex autoritate Ampl. Facult. Phil.

In famigeratiss. ad Auram Lycéo,

Sub MODERAMINE,

Viri Admodum Reverendi Amplissimiq.

DN. M. DAVIDIS QUAD/

Sacrar. L. L. Professoris Celeberrimi,

Facult. Phil. h. t. Decani maxime spectabilis,

Hospitis atque Promotoris sui inde-  
fesse colendi,

Publico candidorum examini sistit

ERICUS CAJANUS, E. F. O-Bothn.

In Audit. Max. ad 23 Febr. A. M. DC. XCV.

ABOÆ, Impr. apud JO. WALLIUM.

SACRÆ REGIÆ

Magnæ Fi

*Patribus in*

Atqve

*Reveren*

**DN. JOHANNI  
GEZELIO,**

**S.S. Th. Doctori Præcellentissimo,  
Dioecesis Aboënsis Episcopo E-  
minentissimo, Regiæ ibidem Aca-  
demix Pro-Cancellario Magnifi-  
centissimo; Consistorii Ecclesia-  
stici Præsidi Am-  
plissimo,**

Patronis atqve Mæ c  
ximis, ita summa pi et

**FELICITATEM P**

MAJESTATIS

dei Viris

CHRISTO

DOMINIS

*diffimis*

DN. JACOBO

LANG /

S.S. Th. Doctori Celebratissimo,  
Superintendenti Narvensi longe di-  
gnissimo, Consistorii Ecclesiastici  
Præsidi Gravissimo, Scholarum  
per suum districtum E-  
phoro attentis-  
simo,

cenatibus, ut Ma-  
estate devenerandis

PERENNANTEM!

**V**itio licet mihi verti possit, quod Vos Reverendissimi Patres, innumeris obstrictos curis publicis in limine compellare, Vestraque fulgidissimo suo radiantia nitore hic præfigere ausus sim nomina; interim tamen, cum singulari prorsus favore literarum cultores excipere soleatis Sedulos, non potui, quin Vobis Patroni maximi, ingenii huncce foetum immaturum licet, ut eodem negotio me measque fortunas humilime commendarem, venerabunda simul indicium extaret mentis, submississima offerrem manu. Fronte itaque opellam hanc respicite serena, eamque non suo ex habitu, sed exhibentis aestimate animo, Qui, quamdiu in viuis fuerit, pro Vobis præsules Magni, Vota facere non desinet unquam,

Reverendiss. VV. Ampli-  
tudinum

Devotissimus Cliens

E. CAJANUS.

VIRIS de Ecclesia DEI optime meritis  
*Adm. Rev. Præcl. Specta. Rev. Doctissimisqve*

DN. JOHANNI  
CAJANO,  
Præpos. Cajanab.  
districtus præpri-  
mis gravi.

DN. JACOB O  
FROSTERO,  
Præp. Uhlob. infi-  
gniter accurato.

DN. ZACHARIÆ  
ULHEGIO,  
Past. in Ijo dignis-  
simo.

DN. ERICO E.  
CAJANO.  
Pastori in Sot-  
famo.

DN. M. GABRIELI  
FORTELIO,  
Præpos. Biörnburg.  
percelebri.

DN. GUSTAVO  
CAJANO,  
Pastori in Lohsto  
meritissimo.

DN. ZACHARIÆ  
Matsson/  
Præt. Cajanab. fi-  
delissimo.

DN. ERICO J.  
CAJANO.  
V. Div. Ministro in  
Baldamo laudatiss.

*Patronis, Avunculo, Patri, Fautoribus & Ever-  
getis propensissimis, ideoque obsequi-  
oso cultu prosequendis.*

Specimen hoc ingeniosi, beneficiis pro innu-  
meris animo facum libat gratissimo.

*Nom: V.V.V. Clariss.*

*Cultor observantiss.*

E. C.

Liberalium artium & venustorum  
morum Cultori, ut assiduo ita  
felici, Juveni

*Pereximio & Praestantissimo,*

Γn. ERICO CAJANO,

Dissertationis hujus DE PROSELYTIS egregiæ, Auctori laudatissimo, Amico meo,  
Commiliti & Commensali svavissimo, hoc *αὐτοχρειασμῶ* ad-  
plaudo

**A**λόφυλῶ κόσμῳ, ἄστρων τε Προσήλυτῶ  
ἔσση.  
Μοι μὲν τῆτο δοκῶν ἔσιν. σὺ δὲ πείρα  
ἐνίχεις.

Πρὸς σοφίην γὰρ ἔχεις τόλμαν, τὸ δὲ σύμφε-  
ρόν ἔστι

Ἐν τῆτῳ κε πολυχρονίην μελετὴν ὠφραθεῖναι.  
Ἀμφοτέρων ῥέζεις σίζων τε Προσήλυτον ὀρθῶς.  
Φημὶ ἔσθ' ἕως ποθ' ὑπέρτατα δώματ' αὐ-  
ναίων

*αὐτοχρειασμοῦ*

DAVID RIND

L. B. S. P.

**S**pecimen mihi aliquod publicum edituro, plurima de praestanti certantia utilitate se obtulere argumenta, sed cum plus quam immaturum Meum ferret aut expedire posset ingenium, illis inesse viderim difficultatis, nolui me illi quasi Oceano, cujus vastitas me fugiebat, committere. Sic autem cum cogitationes, ceu in bivio, in omnes versabam partes, stetit mihi se tandem materia haec satis nobilis de Judaeis ascitiis, seu personis in consortium Judaeorum adsociatis. Cujus elaborationem ego animo volvens, levissimam quidem primo intuitu operam in ea arbitrabar esse collocandam: aliquanto autem penitius ubi Philologorum emunctae navis pervestigavi conditoria, rursus mihi gradus quasi in trivio sistendus videbatur, utpote qui varia praeter spem haec opinionum reperiebam divortia. Hic dum anxius haereo, erigit me illud, quod scientiae paupertate pressos excitare soevit quosvis, nimirum, licet Materia huic, enucleandae minime sim sufficiens, tamen cum me non lateat, quod interdum voluisse in rebus magnis satis sit, telam quoad fieri poterit, pro paupertate cognitionis habitu, breviter pertexendam duco, Tua L. B. fretus benevolentia, qua quosvis amplexari soles ultro.

MEMBRUM PRIM.

§. I.

**R**epublicam judaicam ut duobus ex personarum generibus conflata fuisse, inter omnes convenit, ita de eo, non est, quod quisquam ambigat. Sive enim Philologorum perlustrare scripta Tibi non displicuerit, sive in scripturam authenticam oculos miseris, ibique eos circumquaque voveris, duo certe hominum genera totum corpus judaicum constituentia deprehendes, quæ tamen uno eoque late sumto *Judeorum* insigniri videas nomine. *Primum locum* tenent יְהוּדִים, utpote penes quos jus residebat summum. Hi sunt ipsi originarii Ebræi sive *αὐτόχθονες*, qui, ut ait Apostolus, φύσις erant *Ἰσραῖλοι*, *natura*, non tantummodo qua religionem, sed & naturalem generationem, originem atque profapiam tales. *Præter hos* reperiebantur in Palæstina homines, qui non *ἐκ προγόνων Ἰσραῖλοι* erant,

sed



sed qui ἐξ ἄλλοφυλισμῶν, vel religionis, vel domicilii causa solum relinqvebant patrium, & in judæa suas figebant sedes, quos Ebræi omnes עֲרָבִים nominabant. Hos inter excellunt illi, quibus jus edendi agni pascalis dabatur, eam enim ob causam se judæis aggregabant, ut pietatem, sibi exercere liceret divinam. Namque licet immanis ille inferni Crocodylus, hominum mentes adeo semper veneno contaminarit, ut| horrendum in modum ab uno in aliud detracti fuerint facinus; historiam tamen V. T. pervolventibus, constat, per plurimos gentilium, desiderio religionis Ebræorum flagrasse tanto, ut legi Mosaicæ se subjicerent, *Regum Regi*, qui cunctos sua potest levare ope, potius, quam idolis, litaturi. Cur enim, quæso, copiam edendi agnum paschalem multis fecit gentilibus DEUS, nisi quod penitus cultum idololatricum in circumcissione renunciarint, cultuique divino totos se dederrint? Quæ, cedo, alia subest causa,

ob

ob quam privilegiis Ebræorum uti datum fuit personis illis ascititiis, quam illa, quod legibus Ebræorum se obligaverint atque adstrinxerint? abdicato quippe paganismo se in gremium ecclesiæ judaicæ contulerunt, Mosisque pædagogicæ subdiderunt.

§. II.

Omnes vero illos qui ita à gentilismo se ad Judaismum convertebant, uno nomine προσηλύτας vocatos esse, cuius vel primis græca gustanti labiis, planum est. Cujus natales si principiis suis vindicaverimus, nauseam moveri putamus nulli: illo præprimis ducti ratiocinio quod Epictetus, concinne τὴν ἀρχὴν παιδείας dicendo τῶν ὀνομάτων esse ἐπίσκεψιν, protulit, methodo, auctoritatibus longò jam tempore comprobata summis, hoc insuper instigante. Non itaque hallucinatum existimamus ut in aliis, ita hac in parte Celeberr. Leusdenium dum natales ejus ad προσέγχομαι defert. Etenim sicut Profelyti erant homines adventitii, qui à regio-

ni-

nibus aliis se ad judæos recipiebant; ita facillime atq; rectissimè ἀπό τῆ προσέρκειται derivationem suam petere eos quis negaverit? quis de eâ, quin vera sit, si vel maxime de omnibus aliis, dubitet sententia? Quippe, (sive ad præt. passiv. προσήλευμαι, sive ad præt. Med, προσελήλυθα respectus habeatur) eidem (τῷ προσέρχομαι) profelytos natales debere, si dixerimus & nos, nil à veritate alienum, nil veritati magis consonum, nos hic allaturos, sumus persuasi.

### §. III.

Cum nec acceptionem vocis hujus multiplicem, oculis vel accuratioribus Philologorum scripta perscrutanti summorum, obviam esse, certum sit; nec synonyma catervatim à quoquam uspiam deprehendi queant; non est, quod anxie in illis eruendis laboremus, paucissima solum, quæ passim reperire licet, brevissime, ne diutius his immorando, delicatoribus sumus tædio, adnotaturi. *Græcis* Profelyti nomine

των ἑγγεῖπτων veniunt, alio non instituto, quam ut inscriptos, ac in numerum Judæorum indigent esse relatos. Dicuntur *iisdem* quoque γειῶσι a Chaldæo - Syro vocabulo גיירי ut notat Svicerus in lex. Gr. Latini nuncupant peregrinos, Ebraicis instituti literis, utpote in quibus sæpiuscule eos גיירי peregrinos, insignitos videas.

§. IV.

His ita præmissis anteqvam ulterius progrediamur, etiam illud observandum est, juxta quosdam illos qui ἐλλημιστοι dicuntur in scripturis, esse non alios quam profelytos ex græcis factos, ita Pfeifferus in Cri. sacra infit: Hellenistæ sunt Græci hoc nomine comprehensi, Profelyti seu ad Judæismum conversi; Alia autem est sententia Cl. Leusd. Ille enim vocem illam latiori accipi debere innuit sensu, adeo ut per ἐλλημιστοι omnes Judæi in Græcia & alibi suas figentes sedes, qui græca modo usi fuere versione, intelligendi sint, nec quosquam alios, quam eos nomine

ne

ne Ἑλληνιστῶν significatos exinde demon-  
strat, quia vel tempore dispersionis in  
Græcia habitaverunt, vel etiam Græcam  
habentes versionem, Græcè quoque  
sunt locuti.

§. V.

Ἑλληνιστᾶς quoque & Ἕλληνας diversa  
sum extitisse populum quidam voluerunt,  
solaque cognatione derivationis voces  
has congruere. Illi fuerint, sicut ante  
placuit Leusd. Judæi Græca utentes  
versione, hi vero non pagani solum  
in Græcia commorantes, sed & quivis  
ἑλλογενεῖς καὶ ἑλλοφυλοὶ quos in N. T.  
nominari Ἕλληνας Svicerus in Lex. Gr.  
observat. Harum in vocum differen-  
tia enodanda dum versamur, in favo-  
rem cujusquam nos non opinamur  
peccaturos, si notaverimus, quænam  
quoque sit distinctio inter Ebræum,  
ἰβραῖον ἐξ ἰβραῖων, & Profelytum. Per  
Ebræum itaque intelliguntur Judæi  
illi originarii, de quibus in initio para-  
gr. I. Ebræo ex Ebræis idem fere con-  
notante, utroque enim nomine vocantur

tur illi, quibus & lingua & origo Ebraea, & Biblia erant ebraica: cum hoc tamen discrimine, ut is dictus fuerit Ebraeus, qui vel Patre ebraeo vel matre ortus sit Ebraea; is a. *עברי* & *עברית* *אב* qui ab utrisque & patre & matre originem ducit Ebraeis.

Nunc cum ceterarum vocum differentiam explicauerimus, ecur nostri quoque profelyti non dabimus? Vocatur autem, ut supra, ab Ebraeis *גר*, de quo si adhibuerimus distinctionem, penitus a via nos aberrare quis dixerit? nimirum illum, qui vel patrem agnoscit profelytum, vel matrem profelytam, dici *בן גר* vel *בן גרה*; eum autem qui procreatores utrosque habet profelytos *בגב* nominari; quasi dixeris *בן גרה* & *בן גר*, literæ namque initiales hic notatæ sunt, ut sæpe ab Ebraeis fieri solevit.

### §. VI.

Sic expositis illis, quæ in limine detegenda fuere, rem ipsam sub examen vocaturis primum notandum est,

quotuplices apud Judæos fuerint Profelyti. Hac de re quemadmodum judicia exstant diversa, ita nemo se facile Palæmona interponit: jam enim tria illorum genera, ut a Philologo sumo Leuld. jam duo saltem, ut a Theologis Religiosissimis, Qvenstedio & Pfeiflero constituuntur. Hic nihil tutius mihi visum fuit, quàm ut trium horum maximæ auctoritatis virorum conferrem sententias, atque quo in puncto illæ convenire possunt, ostenderem: in primis de duobus profelytorum generibus, in quibus controversiæ hujus non vertitur cardo, acturus.

§. VII.

Sive duo Profelytorum genera, sive tria eadem statuamus esse, primas inter illos tenere ecurr non affirremus Profelytos justos? cum in codice sacro ceteris illi anteponantur, cum nec vulgaribus illi ab Ebræis ornentur titulis. Vocantur autem *nunc* גרי צדק profelyti justitiæ, *nunc* גרי בני ברית confæderati, *nunc* גרום גרוים profely-

felyti tracti. *Profelyti justitia* quidem quia Judæis erant fere æquales, atque omnium præstantissimi; *confæderati* autem quia cum idola ante coluerint muta, jam ad DEUM se convertebant vivum, sicque fœdus cum eo inierunt æternum. — גרֵי גֵרֵי eccur quoque illi non nuncupentur? quando quidem Profelyti erant *αυτομάτοι*, & a se ipsis moti ad judaismum trahebantur. Trahebantur autem non rerum externarum, sed solius religionis causa, utpote qui gloriæ Dei studentes, Religionem amplectebantur Judaicam, totamque legem Mosaicam se observaturos pollicebantur, salutem exinde expectantes. Non enim sufficiebat illis intuitu secularis felicitatis profelytos fieri, quippe tam totum legis Mosaicæ jugum, quam religionem recipere Judaicam necessum habuerunt omnes, qui Profelyti justitiæ audire gestiebant. Vid. Leusd.


§. VIII.

Hi siquidem in gradu excellentiori, quam alii Profelyti, collocati erant,



certis ea propter ritibus ad Judaïsmum  
intromittebantur. De quibus antequam  
quicquam in chartam conjiciamus, ob-  
servari meretur illud, quod omnes Pro-  
felyti Judaïsmo adscribendi examinati-  
oni subjici debebant, utrum ea inten-  
tione, illisq; conditionibus, quæ ab illis  
requirebantur, ad Judæos transferint,  
Quas omnes si adesse senserint, gravi-  
tatem Præceptorum oculis illorum sub-  
jiciebant, an illis deterrerentur, explo-  
raturi: si vero nec ob illa animum eo-  
rum terrore viderint tangi ullo, con-  
festim eos in præcipuis fidei judaicæ  
articulis informatos Judaïsmo inserue-  
runt. Proporro pænas, quas pecca-  
tores suis luerent pro criminibus, &  
præmia, quibus Præceptorum Dei ob-  
servatores onusti olim redderentur, de-  
derunt quasi in conspectum. vid. Leusd.

### §. IX.

Post has curas tres initiationi Pro-  
felytorum adhibebantur Ceremoniæ.  
(a)  Circumcisio, quæ confere-  
batur

batur in Malculos, tam qui præputiati erant, quam qui eodem carebant. Namque, *ut monet Maimonides*, multi erant, Arabes atq; Ægyptii, quibus in gentilismo circumcissione per *κακοζήλιαν* ad eos tracta, præputium abscissum fuit. De hisce itaq; quæritur, utrum circumcissione opus habuerint. Verum, ut eò constantiori serite profelytos esse factos crederent mente, voluerunt Judæi præputium quod ante amputatum erat, denuo sauciare: sicut sæpe laudatus Leuld, id hisce in culcat verbis: *illi quidem non habuerunt physice præputium, habuerunt autem in genere morum: Et propterea tantum præputium ipsorum sauciabatur.* De mulieribus hoc saltem memorandum est, quod ab circumcissione, utpote objectum circumcissionis non habentes excludebantur, quibus baptismum & oblationem ante suffecisse, nunc autem solum baptismum docent Doctores Philologi.

§ X.

Cum circumcisio sola Profelytum non faciat, ideo profelyti inferebantur

judaismo quoque (β) — בטביל — *baptismo*, quo, sanato demum circumcisi-  
 onis vulnere, *πρωσιλούμενοι* imbueba-  
 tur; & eo quidem modo, ut si fuerit  
 Fœmina, ad collum usque â mulieribus  
 immergeretur aquis. Non vero ab una,  
 sed pluribus id fieri debuit mulieribus,  
 utpote cum tres semper testes etiam in  
 baptismo viri necessum fuerit adesse  
 præsentem, qui de profelytismo publice  
 proclamato testarentur, quiqve profely-  
 to in aqua morante, pleraque legis præ-  
 cepta recitarent, ut illa & facilia di-  
 sceret & difficilia,

§. XI.

Baptismum hunc adeo 'necessarium  
 esse, persuasissimi sunt Judæi, ut nemi-  
 nem factum vel profelytum unquam si-  
 ne hoc fieri posse credant. Unde Ma-  
 im. *profelytus*, ait, *qui circumcissus quidem,*  
*Es non baptizatus est, non est profelytus,*  
*usque dum baptizetur.* Tanto enim in il-  
 lum accensi erant odio, ut dubitare pos-  
 sis, an in quemquam alium fuerint  
 acerbiores, quod exinde facile dispalescit,  
 quod

quod in odium Samaritanorum baptis-  
mus circumcisioni profelytorum ex  
mente B. Meyer. & Schikhardi addi-  
tus sit.

## § XII.

Finis ritibus hisce imponitur ( $\gamma$ )  
בְּקֹרְבָן *oblatione*, quæ duobus turturibus,  
aut duobus Columbæ pullis in redho-  
stium datis, aut etiam sacrificio  
jumentiperagebatur. Nunc autem cum  
sacrificia abolita sint, atque templum di-  
rutum, Vir baptismo & circumcisione,  
Fœmina vero solo baptismo Judæis  
adjungitur, Maim. sic hanc in rem  
differente: *Quia nunc temporis sacrifici-  
um cessavit, opus modo est circumcisione &  
baptismo. Cum vero, (addit) Sanctuarium  
restaurabitur, sacrificium erit offerendum.*  
Templo itaque disjecto actu nullum  
offerebant Korban, sed reædificato  
templo se oblatores spondebant, vid.  
Dn. D. Qvenstedt. in Ant. biblic.

## § XIII.

Profelyti hi justi hoc in judæorum  
consortium adoptati pacto, quin iis-  
dem

dem gavisi sint privilegiis, tanto minus  
 quivis ambigat, quanto certius eos jam  
 videt factum esse cooptatione, quod Ju-  
 dæi erant nativitate, Maim. Thalmu-  
 distisque hoc adfirmantibus. Quia si-  
 quidem Hierosolymis habitare eis con-  
 cessum fuit, cur non jura quoque ea-  
 dem, quæ Judæis, illis competere po-  
 terant: Si modo illud exceperis,  
 quod ad quamvis dignitatem illis non  
 patuerit aditus, nec enim in syne-  
 drium magnum cooptari potuerunt,  
 nec membrum Synedrii minoris fieri,  
 nisi matre nati fuerint Israëlidade. Ul-  
 terius luce meridiana clarius hoc ex-  
 inde eluceffit, quoniam non tantum  
 jure sacrorum eodem quo Judæis, illis  
 frui datum fuit, qualia sunt de esu a-  
 gni paschalis &c. sed etiam sive Israël-  
 itidem Profelytus quis (puta ortus ex  
 omnibus reliquis gentibus, præter Am-  
 monitas & Moabitas, Idumæos & Æ-  
 gyptios, Nethineosque: horum enim  
 quidam ad certas usque generationes,  
 quidam in æternum ab nuptiis cum

Judæis contrahendis arcebantur ) connubio sibi sociarit, nemo id vel ab honestate remotum, vel legibus duxit contrarium: sive etiam Profelyta ulla ulli nupserit Judæo, nec id moribus eorum indecorum fuit; quoniam vero in excellentiæ gradu constitutus Sacerdos summus allis merito præferendus erat, pernegabatur illi, quominus profelytam sibi ducat uxorem.

#### §. XIV.

Licet populi illi ( Moabitæ, Ægyptii &c. ) non consecuti sint jus connubii cum judæis, non tamen exinde quavisquam eruere nitetur nulla judæorum privilegia ad eos spectasse, quippe cum non tantum certas id factum sit ob causas, sed & Philologi Summi ex Rabinis alia quævis jura præter matrimonium eos adeptos fuisse certò demonstrent. Concinnè enim nimis Cl. Wagenleilius ex *inestimabili* ut deprædicat, *Codice MS Ez Hechaim*, in sua Sora ostendit populos supradictos,

eodem in loco, quo Israelitas, habitos; connubii nihilominus jure privatos fuisse: *Moabitas* quidem atque *Ammonitas* ideo, quod panem ac aqua, non occurrerint Judæis ex Ægypto proficiscentibus, quodque Moabitæ Bileamum adversus judæos conduxerint. Hoc autem de Viris Moabiticis atque Ammoniticis accipiendum est, namque cum fœminas non solere itinerantibus panem aquaque obviam ire asserat, meritò illis jus nubendi Judæis permissum esse quis denegaverit? *Idumæos* autem atque *Ægyptios* quod adtinet, eos aliquot usque generationes à conjugio cum Israeliticis contrahendo arceri innuit, ad tertiam videlicet, ubi illud cessat interdictum; ita enim Deut. 23. 8: *Filiorum, quæ nascentur ex illis, generatio tertia, venito ex illis in congregationem Domini.* Cui licet opponi posse videatur illud, quod R. D. Kimchi quosdam existimare ait, interdictum de tertia generatione ad mares solum Ægyptios pertinere, hoc instructos argumento, quod & in loco Deut.

citato sexus mentio injiciatur masculini & Salomonem justas cum Pharaonis filia celebraſſe nuptias, ſi illa obtineat ſententia ſeqvatur; Verum tamen, cum ipſe quoque R. Kimchi faciat cum iis, qui nulla facta mentione ſexus, tertiam generationem Profelytorum Ægyptiorum cum Israelitis affinitatem contrahere poſſe contendunt, nec nos quicquam movebimur frivolo ratiocinio eorum, qui volunt jure eodem Ægyptiis ac Moabiticis ſœminabus licitum ut nubant Israelitis, fuiſſe: quandoquidem maxima intercedat diverſitas, Scripturâ rationem interdicti de Moabitis atque Ammonitis, exprimente.

§. XV.

Sed cum probabile ſit non paucos gentilium, cum Profelyti fierent, uxoratos fuiſſe, non incommode verba Seldeni hic adhibebimus, ex quibus liquido patet quid de ejusmodi matrimonio Ebræorum ſenſerint Juris Conſulti. Sic atem ille: *Conſequeus igitur eſt matri-*



monia apud gentiles inita, id est gentilium more, contracta celebrataque, pro legitimis, etiam postquam conjuges in Judaismum transierant, ab Ebraei habita, Et ametsi regeneratio Profelyti seu novi ejus ex Profelytismo natales ejusmodi censebantur, ut velut denuò ac recens natus, quantum ad consanguineos ac affines spectat, existimaretur; nihilominus quantum ad fidem connubialem, ante datam atque obligationem inde qualemcunque ortam, regeneratio ejusmodi seu novi natales non omnino oblitere, quo minus pristinum maneret conjugium &c. Rectè quidem licet omnes eos, qui per ritus ante tactos Judæis aggregabantur, omnem exuisse consanguinitatem exinde, ab eo concludatur, quod judæi eos pro recens natis habuerint infantibus; & adhuc firmum mansisse pristinum conjugium; hoc tamen obiter monendum ad illud est, quòd id non ratum à Judæis habebatur matrimonium, si quis gentilis Matrem, Novercam Sororemve Germanam connubio sibi junxerit, atque cum eâ in Judaismum transfuerit. Ipse enim profelytus eam si non remove

volue-

voluerit, a Senatu semotam idem innuit Seldenus.

§. XVI.

De juribus quibusdam singularibus, quæ circa profelytorum bona versantur atque hæredes, paucis quoque heic disputari posset; sed cum jam non sit animus omnia congerere, bonâ cum B. L. venia, illa omittimus, contenti illud hic inseruisse, quod ei, qui Profelytus factus nullos genuit liberos, nulli quoque fuerint hæredes, idque ea de causa, quod Judæi consanguineos ejus ingentissimo degentes pro consanguineis non agnoverint, multo minus hæreditatem, consequi passî sint, sed ut illi, qui primus bona ejus occupaverit, illa cederent, legem tulerint, teste Maim.

MEMBRUM SECUND.

§. I.

**V**idimus Profelytos justitiæ *Felices*, qui cum se errare cernerent, ad viam pervenire conabantur: vidimus eosdem *Feliciores*, quibus tanta affulsit

fulsit lux, ut in gremio Eccles. judaicæ se condere vellent; vidimus quoque *Felicissimos*, quibus eadem cum judæis contingere privilegia. & ista sane brevissimè. Gratae eidem litantes brevitati, brevissimè de secundo genere profelytorum, *inquilinis* sc. agemus. Ebræis illi dicuntur גרי תושב *peregrini domicilii* inde desumpto nomine quod jus se sociandi judæis acceperint. Ita enim Maim: ולמדה בקרה שמו תושב לפי שמותר לנו להושיבו בוינו בארץ ישראל Et *quare vocatur profelytus inquilinus? quia licitum est nobis permittere, ut habitet inter nos in terrâ Israël.* Notanter sanè addit *inter terrâ Israel*, quia licet in 'omnibus terræ sanctæ partibus aliis habitare illis licuerit, Jerosylomis tamen fuit pernegatum; idque alio non fine, quam ut loci sanctitatem monstrarent esse causam, quæ prohibuerit quo minus sedes ibi figere illis liceret suas.

§. II.

Honorabantur hi Profelyti à judæis nomine quoque גרי שער *Profelytorum*

*torum porta, ut & חסדיו אמרת העולם*  
*piorum gentilium Seculi; atque צדיקו*  
*חסדיו אמרת העולם justorum gentilium Seculi,*  
 utpote qui nec circumcisi, nec baptizati,  
 legibus quibusdam se judæis adjunxe-  
 re, sc. ut à cultu abstinerent idololatri-  
 co, atque universæ humanitatis legibus,  
 quæ septem Noachidarum præcepta  
 audiunt, obstringerent; non autem ju-  
 gum legis Mosaicæ in se derivabant,  
 sed privatæ alicujus commoditatis ergo  
 idola se non culturos pollicebantur.

### §. III.

Septem illa præcepta Noachica,  
 legis naturalis compendium vocitata,  
 ita à nonnullis disspescuntur Doctoribus,  
 ut duo priora sint inter hominem &  
 DEUM; Quatuor autem posteriora in-  
 ter hominem & proximum. Et hæc  
 dicuntur Adamo esse promulgata, eisq;  
 dum illa Noacho denuò daret DEUS,  
 eo ipso hoc additum fuisse: quod inter  
 hominem fit & brutum, erga quod cru-  
 delitas interdicitur. Præceptorum ho-  
 rum

rum cultoribus annumerat Godvinus Eunuchum, Cornelium, illosque qui Act. 2. ἄνδρες εὐλαβεῖς dicuntur. Id autem in dubium vocari potest inde quod Eunuchus, hic aulicus & δυνάστης, profelytus fuit iustitiæ quod apparet ex eo, quia scribitur Esajam legisse; Sed nec id satis firmum videtur quod ἄνδρες εὐλαβεῖς Profelytos velit inqvilinos, cum contrarium svadeat appellatio judæorum illis adscripta. Nec Jerolymis habitasse in loco cit. perhibentur inqvilini, cum illa urbs judæorum ἐν σπέρματι Ἐβραίων & peregrinorum iustorum fuerit domicilium. Ex quibus colligendum videtur, illos non Profelytis Portæ aggregari debere, sed inter Profelytos fœderis esse reponendos. De Cornelio etiam dicit Coccejus nec illum ex piis gentilium fuisse, utpote qui nullo modo se legi Mosis subdiderit, sed postquam resciverat, quæ de Christo fama tulit, exsors ejus esse noluerit. Quid autem hac de controversia habendum sit, id matu-  
ria

rioribus discutiendum relinqvimus judiciis.

§. IV.

Differebant hi peregrini domicilii a justitiæ Profelytis (a) in eo, quod illi non fuerint circumcisi, sicut hi, neque baptizati. (β) Quod Jerosolymis confidere illis non fuerit licitum, ast in terra duntaxat Israël, ut supra ex Maim: probatum ivimus. (γ) Quod nec eodem gaudebant jure Sacrorum. Nam licet holocausta sacrificarint, non tamen omnis generis Sacrificia illis offerre datum fuit, nec illi in templo sed in subdiali templi orabant, cum tamen Profelyti justitiæ etiam in templo sacra cum ceteris judæis peragerent.

Maim: ואחר אנשים ואחר נשים  
או עבדים מביאין כל הקרבנות

*Et viris & feminis & servis licet, ut oblationes, quas velint, offerant, sed à gentilibus, non accipimus, nisi holocausta tantum. Et quæ succedunt. Quare hujusmodi profelytos eo duntaxat tempore amplectebantur judæi quo jubilæi celebrantur,*  
hodie

hodie autem cum usus jam evanuerit  
 jubilæorum, nulli nisi omnes legis Mo-  
 saicæ apices admittere velint, recipi so-  
 lent. Quomodo enim Israelitæ, pro-  
 felytos domiciliu recipere poterunt, cum  
 nec ipsi firmum habeant domicilium?  
 quâ, quæso, ratione eos in solo patrio  
 habitare sinent, cum ipsi quoque eje-  
 cti extorres degant? Nonne, si ideo  
 profelyti domiciliu vocantur, quod per-  
 missum fuerit Israelitis habitationem  
 eis inter se concedere, eo tantum tem-  
 pore illos sequitur receptos fuisse, quo  
 in terra sancta residebant? postquam  
 autem expulsi in fugam erant, nullos  
 omnino extitisse?

§. V.

Antequam de profelytis Mercena-  
 riis, quicquam dicamus; altiori, neces-  
 sum esset id ut pensitarem indagine,  
 an tertia ab eis profelytorum consti-  
 tuatur classis. Hæc illa controversia  
 est, quæ misere torsit cerebellum. *Con-*  
*troversiam* dico, quia Hottingerus atq;  
 Leusdenius Philologi Celeberrimi pro-  
 D. ble;

blema affirmant, & ita quidem, ut medios inter profelytos atque ipsos gentiles hos reposuerint; Dn. D. Qvenstedt vero ac D. Pfeifferus facile inquilinis eos annumerari posse, docent, utpote qui tam religionis, quam privilegiorum ratione ad inquilinos reduci queant. Hanc quidem litem licet nostrarum non sit virium componere; nihilominus, quid de hisce mercenariis mente conceptum habeamus, ut pateat, paucis circa controversiam hanc nos expediemus.

§. VI.

Sententiarum itaque varietatem quod attinet hancce, ingenuè fateor non multum abfuisse, quo minus firmum sententiæ Hottingeri addidissem calculum, quoniam תושב & שכור contradistingvi videbam. re autem probe pensiculata, non poteram non argumentis id evincere nullis, quod *inquilinus* & *mercenarius* non religionis intuitu, sed conditionis leviculæ, quod ille statum fixumque, hic vero ad tempus tantum

fibi



sibi domicilium | posuerit inter judæos, distingvantur. vid. D. Qvenstedt. in Antiq. Bibl. Unde cuius facile liquet, Viros hos summi iudicii quoquo convenire posse modo: nam dum D. Qvenstedt distinctionem inter Profelytos inqvilinos & mercenarios, levem tantum admittere videtur, una tacite non videtur abnuere tertium Profelytorum genus ab his constitui posse. Dum vero Hotting. eos facit medios inter Profelytos inqvilinos & gentiles, eo sane respectu D. Qvenst. nulla videre potest ratione, quomodo tertia ab eis creetur classis; cum non quoad religionem atq; privilegia modo, sed & quoad observantiam præceptorum Noachicorum inqvilinis adstrictos fuisse firmiter credat. Consequenter igitur, licet tria esse Profelytorum genera, nec negemus nec affirmemus, concludimus tamen eos ab inqvilinis ita distingvi, ut hi jus incolendi inter judæos habuerint, illi verò non; sed tantummodo cum judæis operam suam communicandi, nec uno

uno in loco fixum retinendi domicilium, sed jam uni jam alteri suam locandi operam.

§. VII.

Quam recte autem, quamque vere Dn. D. Qvenstedt stet â partibus R. Barzelonitæ profelytos mercenarios circumcisos fuisse asseverantis, prima quidem fronte dispicere non poteramus. Quippe si Profelyti inquilini non circumcidebantur, nulla certe quemquam adigit ratio, ut Profelytos mercenarios esse circumcisos velit, vid Leusd. Accuratus vero verbis D. Qvenstedii perpensis, magnam huic non inesse comperiebamus difficultatem; Affirmat namque eos non a judæis esse circumcisos sed ab ipsis gentilibus, ad quos per malam æmulationem illa pervenit. Quemadmodum illud quoque accipiendum est, quod D. Pfeifer. in sententiam hanc Barzelonitæ nullo se concedere ait modo: Ita sc., si quis eos â judæis circumcisos esse asserere ausus fuerit.

Adpellantur autem hi ab Ebræis  
 שכרוו â mercede, ad quam sibi pro  
 artibus mechanicis, quas exercebant;  
 comparandam, ad externos concesserant.  
 Ipsi hi nec circumcisi (â judæis  
 puta) nec baptizati fuere, sed certis  
 quibusdam legibus in palæstina recepti  
 ut ibi illis licitum habitare fuerit ope-  
 ramque suam judæis locare, Differe-  
 bant tam hi, quam Profelyti inquilini  
 â profelytis justitiæ hoc quoque (aliis  
 jam omiffis) fine, quod hi propter glo-  
 riam DEI προσηλυτεύειν gestiebant, illi  
 vero secularis duntaxat felicitatis causa  
 ad judæos veniebant.

## §. IX.

Quæres tandem *mi Lector*, quid de  
 hisce Ebræi senserint profelytis. Ha-  
 beto & illud paucis. Profelytos justi-  
 tiæ utpote præstantissimos, sibi que fer-  
 me æqvaleis iisdem simul utentes pri-  
 vilegiis quodammodo æstimabant; alios  
 vero flocci pendebant, quippe quos cum  
 nec solemniter receperint, firma satis  
 quivis assequi potest conjectura, illos  
 nec

nec magni esse factos. Hoc autem hac in parte æreis venit infigendum tabellis, quod utut judæi profelytos non magni fecerint, vitam tamen ante in gentilismo transactam objectare illis non licuit. Sic pauca de materiâ hac nobilissimâ, non ut argumenti dignitas postulavit, sed ut potuit mei tenuitas ingenioli, chartæ commissa esse L. B. vides. Illa dum humanitati tuæ inspicienda sistuntur, rudi licet perstricta sint Minerva, ut pro solito tuo candore in meliorem interpreteris partem, est quod etiam atque etiam contendo.

כהתי

---

*Ad Virum Juvenem*

Insigni meliorum artium peritia spectatissimum,

**DN. ERICUM CAJANUM,**

Amicum desideratissimum amica manu scribebat.

**E**ruditorum gratiam assequi, præmiique cum certitudine, in labore Musarum felicitate vivere, haud spernendæ laudis est. Labefactantur alii

alii invidiâ : quosdam calamitosæ rerum vices  
deprehendunt : non paucissimos trahit ad se  
lenocinantis facies voluptatis: quibus omnibus  
superari turpitudini proximum videtur. Te  
autem summus DEUS, contra morsus ejus-  
modi malorum, privilegio quasi munitum,  
custodire voluit, Tuo quidem merito; si ve do-  
tes ingenii eximias, si ve artes firmissimas ac-  
cerferimus. Majorem Tu admirationem ævis  
rerum æstimatoribus moves, & quidem hoc  
egregio opere, quam *ave sua, Juno pueris*  
olim movisse fingitur. Edis autem hoc opus  
in ætate vixtantis matura rebus. Quid vero  
cum ad annos provectiores perveneris, ex Te,  
cui, clarè agere à natura est datum, expectan-  
dum habebimus? superest ergo ut incolumi-  
tatem, & mansuram felicitatem, ex cœlis Tibi  
precibus impetremus; Quod ut facile conce-  
dat Divinum Numen impensè rogat, & solli-  
citè optat,

*Tuus*

ABRAH. ALANUS.

---

*Dum probat ingenii vires sub Præside Claro*  
CAJANUS, *vererem facit Egregiam;*  
*Ex animo his ausis idcirco gratulor ejus,*  
*Numine & a summo prospera quæque precor,*

ita Amico suo singulari  
festinus lusit

A. Krantz.

Quamvis naturali quodam amore, quod-  
vis in prolem suam ardeat animal! pluri-  
mos tamen parentes aliquantum ad rem, quæ  
liberorum inservit bono, esse avidiores, dies  
docet. Quapropter laudandi sunt Parentes tui  
Clarissimi, Cognate Integerrime. Qui, cum in-  
genio te præditum esse vidissent vivido, li-  
beralitatæ suæ januam in studiis tuis pro-  
movendis claudi non patiebantur, Verum  
illum semper intendebant scopum, ut quod  
de te aliquando sibi gratularentur, habituri  
essent. Quorum equidem vota cum ex te  
expleveris, Ecceur eos non deprædicem felici-  
cissimos? siquidem ultra spem fructus studi-  
orum Tuorum dulciss. illis proponis degustan-  
dos: unde ulterius quoque eos ominor solido  
ex te olim percepturos Gaudium.

*Hisce Cognato suo sincero gratulari vo-  
luit & debuit.* G. C.

---

*Præstantissime & ingenii dotibus supra æta-  
tem & annos felicissime*

**Dn. ERICE CAJANE**

**N**on sinis ingenii Clari torpescere Acumen,  
Dū tua Castalis immergere pectora lymphis  
Pergis, & hinc spondet Fautrix tibi præmia Pallas  
Præmia quæ meritis sunt digna tuoque labore.

G. C.